

No. 8. Vor 1221.

Markgraf Dietrich eignet dem Kloster 10 Talente jährl. Zinses aus der Münze zu Leipzig, welche Heinrich von Morungen bisher zu Lehn gehabt und dem Kloster überwiesen hat.

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Ego Teodericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio omnibus in perpetuum. Ne statuta devotorum temporum vetustate vel oblivionis rubigine denigrentur, scriptis sunt accuratissime committenda et ad exemplum devotionis posteris nationibus relinquenda. Inde est, quod omnibus Christi fidelibus tam praesentis quam futuri temporis ad notitiam volumus devenire, quod Henricus de Morungen miles emeritus spiritu tractus divino X talenta annuatim, quae propter alta vitae suae merita a nobis ex moneta Lipzensi tenuit in beneficium, nobis resignavit et ut ea ecclesiae beati Thomae in Lipze ad usus inibi Christo militantium conferre dignaremur devotissime supplicavit, illud credimus evangelicum in cordis sui versans palatio: Date elemosinam et omnia munda sunt vobis. Verum cum nos dictum coenobium sollerti studeamus patrocinio sublimare, piae petitioni favorabiliter assurreximus et X talenta, de quibus superius mentio facta est, memoratae ecclesiae habenda perpetuo contulimus. Ut autem huius facti tam rationabilis et deo placiti ordinatio inconvulsa permaneat et inviolata, hanc paginam conscribi et sigilli nostri fecimus inpressione muniri filiis nepotibus et successoribus nostris fideliter iniungentes, quod si quis ausu temerario in posterum dictam ecclesiam super his molestare praesumpserit, hunc persequantur cum Christo persequente. Nomina testium, qui huic nostro facto interfuerunt, haec sunt: dominus Wretzlaus, Albertus burgravius de Aldenburch, Volradus de Landisperc, Vriderhelmus de Povch, Herborudus de Pylasviz, Petrus de Pretyn, Hermannus de Sala, Hartmannus de Crime, Teodericus de Euenhusen, Vlricus de Ringenhagen, Henricus de Korun, Gerardus de Tecuiz capellanus noster, Vlricus scriptor, Conradus capellanus.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit einem grösseren Bruchstücke des markgräflichen Reiter-siegels an rothseidener Schnur.

No. 9. 1227. 1. Juli.

P. Gregor IX. beauftragt den Abt zu Buch, den Probst zu S. Afra und den Domherrn Lambert zu Meissen, die Ansprüche der Edelen Ulrich und Hoier (von Friedeberg) auf das Dorf Pfaffendorf und an das Kloster zu prüfen und darüber endgiltig zu erkennen.

Gregorius episcopus servus servorum dei dilectis filiis .. abbati de Buch Misnensis diocesis, .. praeposito sanctae Affrae et Lamberto canonico Misnensi salutem et apostolicam benedictionem. Praepositus sancti Thomae apostoli in Lipze nobis conquerendo monstravit, quod nobiles viri Vlricus et Hogerus Aluerstatensis diocesis super villa de Papindorf ad ecclesiam suam de iure spectante ac rebus aliis iniuriantur eidem. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus partibus convocatis audiatis causam et appellatione remota fine debito terminetis, facientes